


05

A

1658





COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO X.

De

VERACITATE

&

URBANITATE.

DEO Opt. Max. adjuvante

In celeberrimâ ad Albim Academiâ

PRÆSIDE

M. MATTHÆO Grosseri/

Facultatis Philosophicæ Adjuncto.

Respondente

GEORGIO Weidlichen/Plavia-Varisco.

Academici exercitiij gratiâ

placide disquisitioni subiecta

Ad diem 7. Aprilis horis locoq̃ solito.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCCXXX.

COLLEGIUM
DE
PRAECIPIAT
PRAECIPIAT
MARTINUS



05 A 1658

MARTINUS





Συὺ Θεῶν.

VERITATEM LAUDIBUS ORNARE Lauds.
haud operæ pretium esse ducimus, cum ea 1. Veritatis.
aliâs sat ubiq; laudata: sive enim evolva-
mus *sacras paginas*, sive percurramus pa-
trum monumenta, veritatem laudibus in coelum ela-
tam intelligimus: Nam veritas à DEO esse dicitur
Psal. 30. ideo diligenda Zachar. 8. Veritas firma est,
Prov. 12. Veritati congaudet charitas, 1. Cor. 13. Hinc
Augustinus: Veritas dulcis est & amara: quando dul-
cis est, parcit, quando amara, curat, & *Bernbardus*:
Veritas sola liberat; *Marsilius Ficinus* hisce eam ex-
tollit verbis: Veritas virum reddit dignitate dignum;
Seneca hoc modo: Magna est vis veritatis, quæ con-
tra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, contra
fictas hominum insidias facilè se per seipsam defen-
dit. DE VERACITATE, in præsentia aëcturi sumus,
ut ET DE URBANITATE, cujus usus ut jucundissi- 2. Urbanitatu.
mus ita uberrimus est: Nam secundum Philosophum
illi, qui salibus & facetiis modum quendam adhi-
bent, ii urbani vocantur; e contra verò secundum e-
undem, qui nec facetum dicunt ipsi, & tamen eos, qui
dicunt, permolestè ferunt, & agrestes & duri viden-
tur: De hisce, inquam, in sequentibus ne in vita no-
stra vel à veritatis tramite vel urbanitatis limite ab-
erremus. Huic autem conatui, ô Trinune DEUS,
tuâ adfistentiâ & clementiâ adsis, ardentè te invo-
camus.

A 2

Thesis I.

Thesis I.

Duarum virtutum naturam, quia hinc enucleare nobis mens est veritatis scilicet & urbanitatis duos distinctos constituamus titulos, cujus ponimus

I. Titulum.

De

VERACITATE,

hujusq;

MEMBRUM I.

Ὀνοματολογία.

- (1) *Derivatio.* II. Veracitas ALIIS Candor, Veritas, (quæ vocula tamen magis Metaphysicè usurpatur & interdum Deo attribuitur) Integritas, Sinceritas, Veriloquium, Verum, Græcis, ἀληθολογία, ἀλήθεισις, Φιλαλήθεισις, Germanis, Wahrheit / Lust oder Liebe zur Wahrheit / NOMEN habere dicitur, A Veritas, hæc à Verum, id est, solidum, sincerum; sed τὸ verum derivatur, vel à vere, quod verno tempore sole arietem ingresso omnia verè nascantur, partusq; ad maturitatem perveniant, (vid. Dn. Heiderum p. m. 743. vel à VE, quod idem ac vehementia & RES: quia veritas non inanis sed solida & firma res est.
- (2) *Synonymia.* III. Apud Græcos respondet veritati ἀλήθεια, dicta vel ἀπο τὸ λαθάνειν, quod latere non possit, sed etiam depressa semper emergat vel à privativa particula α & λαθεῖν quasi ἀλάθεια, ac si diceres, non latentia ἔλαθάνουσα non latens: quod semel eruta minime latere possit.
- (3) *Homonymia.* *Accipitur.* *improprie.* IV. Veritas autem hinc à nobis ACCIPITUR non Metaphysicè: quippe quæ veritas est convenientia, congruentia sive conformitas rei cum intellectu; neque Logicè, quæ solet dici conformitas Syllogismi vel propositionis cum re ipsa, de qua oratio est; Nam hæc complexa appellatur veritas, qualem nos hinc non volumus; neque pro veritate conceptuum, quæ est conformitas, conceptus cum ipsa re, quæ concipitur; Sed Ethicè & MORALITER, *πρὸς*
- 1.*
2.
3.
2. Proprie.

prout est virtus consistens in sermone consentiente & conveniente cum mente seu conceptu & cum ipso facto.

V. In hac ultima significatione propriè dicitur veracitas: Nam Veritas (docente nostro Eræceptore honorando Admod. Rev. Dn. D. Jac. Mart.) usitatiùs ad scientias theoreticas, non Politicas & Practicas referri solet; Igitur quia virtus hæc nomine proprio caret; ideo ἀλήθεια & veritas, NOMEN adsumptum & ASCITITIVUM est. Et hæc sunt de primo membro, cui annectimus

MEMBRUM II.

πραγματολογία.

VI. DEFINITUR veracitas μεσότης πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐν λόγοις καὶ πράξεσι, id est, *Mediocritas circa veritatem in dictis & factis*; vel est μεσότης πρὸς τὴν ὁμολογίαν τῶν ὑπαρχόντων, hoc est: *Mediocritas circa possessionem eorum, quæ re vera adsunt*; Quas descriptiones ex Arist. lib. 4. Ethic. cap. 7. colligunt. Admod. Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. ita DEFINIT: Veracitas est virtus, per quam rem uti se habet, efferimus & indicamus: Clar. Dn. Gutkuis hoc modo: Est VIRTUS SERVANS MEDIOCRITATEM IN IIS, DE QUIBUS SIVE AD NOS SIVE AD ALIOS PERTINEANT, VERITAS CANDIDE, PROUT DECET, REFERENDA EST. Definitio.

VII. Definitivæ hujus orationis DEFINITUM est Veracitas in nominalibus explanata; GENUS Virtus, mediocritatem servans: Nam licet veritas sit convenientia primò intellectus cum re, secundò rei cum conceptu, tertio conceptus cum verbis & gestibus; attamen absolutam conformitatem verborum cum conceptu & notitia non semper attendit verax, sed eam mediocritatem, quam recta ratio circa sermonem prescribit, hæc attendit: Nam viri boni officio fungitur & laudem meretur, si quis hominem innocentem, qui ad eadem quæritur, secum latitare bono animo & fine bono neget licet verba cum conceptu non convenient prout fufius ex officiis viri veracis patebit. Genus.

VIII. OBJECTUM est τὸ ἀληθές, id est, *verum, quod quibusdam dicitur convenientia cordis & oris ex objecti aqua consideratione or-* Objectum.

ia. Ad objectum referunt bona & mala, tam nostra quam aliena, quæ verax nec extenuat nec amplificat, sed, uti se habent, ita profert, adeoque animum in fronte gerit, nec aliud sentit, aliud loquitur, si modo id fieri potest; Adducunt itaque porro ad objectum colloquia, gestum, vultum & omnes vitæ actiones, quæ tamen potius hujus virtutis sunt officia quam objecta. Quidam hæc posteriora dicta scilicet & facta, seu potius dictorum & factorum communicationem in quotidiana hominum conversatione ad objectum SECUNDARIUM; illud verò scilicet τὸ ἀληθές seu verum ad objectum PRIMARIUM referunt.

Forma.

IX. FORMAM & modum veracitatis in officio viri veracis infra in quarto membro enumerandis exponemus.

Extrema in genere est Mendacium.

X. EXTREMA considerantur vel in genere vel in specie; IN GENERE est MENDACIUM NON OFFICIOSUM (quippe quod FIT sine intentione quemvis lædendi ob honestam & justam causam, occultatione rerum, quas dicere & revelare nec est necessarium, nec justum nec utile) SED ILLICITUM, PROHIBITUM, perniciosum, (cujus causa ipse diabolus, error mentis & judicii, & voluntas humana) quod fit dissimulatâ contra conscientiam veritate, vel fallendi ergo, vel libidine mentiendi & ingenii vanitate ac consuetudine, vel ex levitate, vel spe commodi, honorum, opumque, false. Huc confer quæst. i.

In specie.

XI. IN SPECIE veracitati opponitur quoad DEFECTUM mendax negatio, quæ fit vel extenuando ea, quæ in aliis sunt ex invidia vel alia causa levi; vel dissimulando ea, quæ in nobis sunt, quoad EXCESSUM affirmatio mendax seu arrogantia respiciens vel nos, fitque; aut jactationis aut gloriæ aut quæstus gratia; vel alios, quos immoderatè prædicamus placendi causâ; fitque; dissimulando ea, quæ in nobis sunt vel extenuando ea, quæ in aliis sunt, unde invidia oritur.

Dicitur etiam Taciturnitas.

XII. Porro notandum, veritatem consideratam πρᾶγματικῶς & quidem ad intra specialiter dici TACITURNITATEM, quæ DEFINITUR virtus, quâ ea, quæ cordi nostro sunt concredita vel quæ reprehensionem rectè judicantium incurrere possunt, firmiter tanquam arcana nobiscum continemus, & ideo summopere vitamus garruli-

rulitatem alii loquendi locum non concedentem, quæ non tam magnum est vitium in senioribus doctis, quam junioribus & discipulis, quos decet expectare loquendi occasionem, ut, quando compellantur vel alii finem sermonibus imponunt.

XIII. Interim tamen non laudamus infantiam, cum quis instar stipitis, quando opus est, non loquitur aut respondet: quippe talis hinc in defectu peccat.

XIV. Huc referunt JURAMENTUM tanquam VERITATIS summam CONFIRMATIONEM, quod DEFINIUNT per invocationem Dei, quâ petimus, ut Deus sit testis nostræ assertionis & puniat fallentem; distinguunt in licitum & ILLICITUM, hoc vocant, id quod cum verbo Dei pugnat & suscipitur de rebus vel falsis vel incertis vel illicitis (sic enim Deum mendacii testem facimus) vel impossibilibus (sic Deum & homines ludificamus) vel levibus & futilibus (quibus reverentiam debitam Deo non præstamus;) Illud scilicet LICITUM est, quod non pugnat cum verbo Dei: suscipitur enim de rebus veris, certò cognitis, licitis, possibilibus &c.

Huc
Juramentum quod
Definitur.
Dividitur
in
Illicitum.
Licitum.

XV. Hujus FINIS est controversiarum terminatio & charitatis stabilimentum: quippe innocentes per calumniam circumventi liberantur.

2. Titulus.

De

URBANITATE,

cujus sequitur

I. MEMBRUM.

Ὀνοματολογία.

XVI. URBANITAS ALIAS Latinis comitas, dexteritas, facilitas, morum flexibilitas, festivitas, morum concinnitas &c. Græcis Ἐπιπεία & Ἐπιπεία, Germanis Höflichkeit/ DICTA, nomen habet AB urbe, quod homines in urbe magis reperiantur morati & civiles, quàm in pagis, ubi Corydones & Dromones stylo veteri inveniuntur & aluntur.

Synonymia.
Derivatio.

XVII.

Homon.

Improprie.

XVII. ACCIPITUR hinc *Οτραπελία* NON in malam partem, de *scurrilitate*, in quam joci, nisi moderatiores sint, plerunq; abire solent & degenerare, quò referunt cap. 5, Ephes. item hoc carmen:

Diceris urbanus, sed non urbanus haberis:

Dum ceu vacca bibis, dum suis instar edis.

Proprie.

XVIII. Neq; hinc sumitur pro humanitate quadam humanæ naturæ naturaliter insita; SED MORALITER pro habitu, qui in ludis & jocis justam observat mediocritatem, de qua esto

MEMBRUM II.

Πραγματολογία.

Definitio.

XIX. DEFINITUR *ὀμιλία τις ἐυμελῶς παίζουσα*, id est: Conversatio concinnè ludens; vel ita: Urbanitas EST VIRTUS MEDIOCRITATEM IN LUDIS ET JOCIS SERVANS, ITA UT HONESTATIS ET DECORIRATIO HABEATUR, ALIORUMq; OFFENSIO VITETUR.

Objectum.

XX. Pro OBJECTO habet *ludos & jocos in congressibus*, quando scilicet, sermoni falsum inspergimus, vel fabulis & sententiis aptè insertis tempus fallimus & ita nos recreamus: Nam labor functiones & actiones quaslibet complectitur, quies otium & intermissionem seu respirationem, cum animi tum corporis: siquidem

Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis

Immodicus contra carpit utrumq; labor.

Finis.

Forma.

Extrema.

Defectus.

Excessus.

XXI. FINIS urbanitatis est *delectatio*. FORMA in officiis explicabitur. EXTREMA sunt excessus & DEFECTUS, hic est *rusticitas*, quando nec ipsi commodè jocos proferimus, neq; aliorum jocos æquo animo audire possumus, fitque quando quis in conviviis tristis, morosus & cogitabundus adsidet; ille EXCESSUS scilicet dicitur *scurrilitas*, quæ est vitium, quo in nimium jocando etiam famam perdimus, fitq;, quando jocos proferimus, nulla habitâ ratione honestatis, pietatis, personarum, rerum, de quibus sermo est, loci, temporis, ubi, quando &c.

III. MEM-

III. MEMBRUM.

Ἐναντιολογία.

Quæstio I.

An omne MENDACIUM sit peccatum?

Sic Divus Augustin. in l. de mendacio statuere videtur, cui calculum adjicere suum Danæus l. 2. Eth. Christ. c. 16. Thomas secunda secundæ quæst. 110. art. 3. & alii, nulli verentur. Verum hâc in parte nos ut ab ipsis divortium faciamus, ipsa veritas, quæ est tum anima nostratis Philosophiæ, tum Christianæ professionis fundamentum, ut loquitur Scal. exerc. 3. in princ. suadet atq; instigat. Sicut enim finis ubiq; determinat actiones nostras: parili ratione pro *diversitate finis*, mendacium aliud atq; aliud esse assolet. Etenim vocabulum Mendacii nonnunquam accipitur *ἄδικως*, sive *late* pro quacunq; simulatione *quocunq; modo & sine fiat*, in quâ generali significatione Scholastici & cum iis Magister sententiarum l. 3. dist. 38. uti & Thomas in 2. quæst. 100 mendacium tripartiri solent. 1. in JOCOSUM *μῆθοις* & parabolis referuntur, atq; conditum, quod tantum alterius recreandi, & delectandi causa enarrantur, non autem circumveniendi. 2. In OFFICIOSUM, quod *cum insigni utilitate* conjunctum, sed ab omni intensione mali quàm longissimè sejunctum est, prout in thesi 10. posuimus. 3. In PERNICIOSUM, quum quis *decipiendi causa* aliud ore, quam corde sentit, profert. Nonnunquam *ἔιδικως* sive strictè pro solo mendacio pernicioso, ad quod mendacium 4. referuntur REQUISITA. Primum est, ut *rei affirmatio sit per se mendax*. 2. Ut *duplici corde* proferatur. 3. Ut id fiat *contra gloriam Dei & dilectionem proximi*. 4. Ut ejus *contraria veri professio sit justa, utilis, & necessaria*. Et hoc est illud mendacium, quod toties severè Sacra pagina prohibet. Hujus contagione qui sunt infecti, verè mel in ore, fel in corde foveant. Manet igitur solam hanc mendacii speciem postremum esse peccatum.

B

Quæstio

Quæstio II.

Num Mendacium OFFICIOSUM ET JOCOSUM καταχρηστικῶς loquendo MENDACII TITULO venire possint?

Pareus cap. 27. in Gen. affirmativam exosculatur, cui sententiæ favet ipse etiam Keckerman. in Syft. Eth. lib. 2. cap. 9. qui nec Patriarcharum, obstricium pro tyrannide Pharaonis averuncandâ, nec Rahab & aliorum patrum mendacia peccato vacare affirmat atquè contendit. Verùm nihil hoc loco obtinent, nos potiùs parallelum seu contrarium possumus repræsentare, his freti catapultis. 1. Quia duobus his mendaciis quatuor illa *requisita* propriè sic dicta, quæ in antecedente quæst. enumerata sunt, *non conveniunt*. 2. Quia neq; vera mendacii *definitio*, quam Divus August. in Enchirid. cap. 22. ponit: Mendacium est falsæ vocis significatio cum voluntate fallendi, *ipsis competit*. Hinc magnus iste Chemnitius etiam à partibus nostris stat, qui partè secundâ locorum in explicat. octavi præcepti has regulas extruxit duas. 1. *Occultatio*, quæ adhibetur ob honestam & justam causam in rebus, quas dicere non est necessarium, justum aut utile, non est mendacium. 2. Ubi *manifestatio* spontanea peccatum esset, non est mendacium figuratè aliud dicere aut ostendere, sed licet uti figuris, quæ tegunt negotia. Ex quibus positis ultrò sequitur mendacium Jocosum atq; officiosum *καταχρηστικῶς*, populariter & impropriè ita appellitari mendacia. Et tantum de hac. Sequitur.

III. Quæst.

An, qui verum dicere se autumat, mentiatur?

Ne ultrà æquitatis normam hisce in controversiis moram faciamus, statim absquè ulteriori verborum Mæandro pro quæstionis decisione *adhibemus distinctionis* medelam inter verum & falsum Logicè & Ethicè sumptum. Logicè verum illud est, ubi
quis

quis dicit, uti res est. Jam vero qui secus pronunciat, nullo respectu ad mentem & intentionem pronunciantis habito, is omninò falsum dicit. *Ethicè* verum est, cum quis non duntaxat ut res est pronunciat, sed & credit ac putat vera esse ea, quæ fatur. Breviter: Ethicus non tam ipsam rem, quàm voluntatem & animum loquentis atq; agentis respicit & intendit. Hinc dicimus, quòd sæpiculè quis Logicè loquatur verum, Ethicè vero mentitur & contrà.

Quæstio IV.

*An sit Comitatus & Urbanitatis tripudiane,
seu CHOREAS ducere?*

Timpler. negat in Ethic. lib. 3. cap. 5. qu. 8. Nos AFFIRMAMUS & approbamus sed *cum micâ Salu.* Fugimus itaq; statim ad distinctionis anchoram & cum sanioribus Philosophis distinguimus. 1. inter *Tripudium* decorum, *honestum*, & moderatum, & inter indecorum, inhonestum, immoderatum. 2. inter illa Tripudia, quæ in locis *publicis* & conventibus *honestæ recreationis & hilaritatis ergo* suscipiuntur, & inter illa, quæ in locis secretis & suspectis ob turpissimas turpissimarum cupiditatum favillas explendas instituuntur. Illas saltationes seu tripudia omnibus Christianis esse integras & nullo modo interdictas; nemo, nisi qui extra rectæ rationis liram abivit, negatum ibit. Hæc vero *illicita*, improbanda, ac muris & parietibus Christianæ Ecclesiæ eliminanda esse ambabus, quod dicitur, manibus largimur.

Qvæstio V.

*Num quis citra conscientia sua scrupulum FESTO
BACCHANALIORUM se LARVIS
induere possit?*

QUI AFFIRMATIVÆ subscribunt his innituntur FUNDAMENTIS. 1. Quia *Experientia*, quæ *βεβαιῶν ἐλεγχῶ* comprobat, sæpiculè larvarum usum adhiberi in conventibus Principum, aliorumq; virorum haut infimæ Caveæ. Sic quoq; in apri-
co est, & nullus, nisi cui mens amens, negitat, in Tragoediis & Comœdiis quàm frequentissimè larvatos incedere. 2. Quia larvarum usus unicè consistit in personæ gesticulatione seu simulatione. *Simulationem autem Personæ esse concessam & licitam*, vel Ca-
lo rerum scenicarum perspectum exploratumq; habet. E. & larvæ.

Minor: larvarum Amasii corroborare allaborant inductione Personarum. Sic in theatrum producunt *Jacobum*, qui personam Esavi repræsentedavit, *Davidem*, qui coràm Achi Rege Palæstinorum se mentis captum, 1. Reg. 21. & *Josephum*, qui aliam personam coràm fratribus suis simulavit. Verùm hæc omnia, si intimiori mentis oculo paulò accuratiùs perlustramus, planè nihil ad rhombum faciunt. Distinguiamus enim inter SIMULATIONEM APPROBATAM sive LICITAM, quæ fit necessitatis telo sic jubente, & hilaritatis ratione suadente optimam ob rationem. Sic *Jacob coactus* personam Esavi coràm patre simulavit, quia nullâ aliâ ratione benedictionem paternam impetrare potuit. Sic *David* vitam suam jamjam in acie novacula positam coràm Achi Rege nullo alio stratagemate quàm simulatione mente-Capti salvare potuit. Sic quoq; simulationes personarum in Ludis scenicis conceduntur, quia illæ fiunt TEMPORE CONVENIENTI, HILARITATIS & REFOCILLATIONIS intellige; Et IMPROBATAM seu illicitam, quæ fit ex purâ animi levitate, merâq; petulantia, atq; pervicaciâ adversus gloriam divinam, Ecclesiæq; & Reipub. amplificationem cum læsione proximi

ximi propter omne genus flagitia exercenda. ILLUM igitur larvarum seu simulationum usum omnibus esse concessum nemo est, qui dubitet. HUNC vero, qui absq; ulla necessitate ex mera levitate cum jactura animæ proximiq; offensione festo Bacchanaliorum adhibetur, prohibendum, & è Christianorum pomeriis ad Garamantes usq; & Indos esse relegandum, quivis sanæ mentis adfirmatum ibit constantissimè.

MEMBRUM IV.

Ἀξιωμαλογία.

OFFICIA viri VERACIS & urbani in thesibus omissa huc referimus: sit autem vir verax. Officia viri.
1. Veracitas.

1. ἀνθέκαστος, hoc est, sui juris & arbitrii, tum in vita tum in sermone.

2. Πεικῆς, æquus, justus & bonus, ita ut ingenuè & trepidè animi sensa proferat.

3. Similet & dissimulet (quod secundarium veracis est officium) cum opus est: sit enim simplex ut columba prudens ut serpens & ubiq; officium suum, honestatem & utilitatem observe.

4. In dictis & factis sit sibi similis.

5. Sua non multum jactet.

6. In rebus incertis & dubiis sua non pro absolutè firmis & certis afferat, sed hasce formulas, quantum mihi relatum est addat.

7. Non violet leges TACITURNITATIS, si ad tacendum leges & conscientia suadet; ideo, quia mors & vita in manibus linguæ, caute regat sermonem & omnes vitet simulationes illicitas, fucos, calumnias, obtrecciones, assentationes, vanitatem. Officia resp.
Taciturnitatis.

Hinc 8. lingua non procurrat mentem, non, quicquid in buccam venerit, temerè effutiat, sed linguam cordis trahat funiculo.

9. Vitet confusionem; ideo non multa loquatur.

B 3

10. Si

10. Si præsentēs doctius de re differere possunt, taceat & probè videat, quid suæ personæ conveniat.
11. Non disputet ubiq; de qualibet materia.
12. De laude propria (ni vindicatio famæ & officium postulat) taceat; de laude verò aliena sit parcus, de laude præsentium personarum parcior.
13. In vituperio & conviciis sit parcissimus, imò planè taceat.
14. In censuris & iudicio de aliis vel præferendis vel postponendis sit cautus & prudens.
15. Cum indocto, iracundo, dissimulante, observatore, inimico, seniore, honorato &c. non facilè loquatur, ni officii ratio id requirat. Hæc omnia & in scriptione (monente Keckermanno) observanda.

Porrò vir URBANUS addiscat ludicra dicere & facere: Hic autem 1. joci non sint sollicitè quæsiti, sed quasi sponte nobis oblati.

2. Sint honesti, decori, graves & liberales, non obscœni, turpes, leves futiles & scurriles.

3. Modus sit in jocando.

4. Si quid carpendum, id allusione facili potius fiat quàm aperto convicio.

5. Personarum & omnium reliquarum circumstantiarum ratio habeatur.

Ac deniq; 6. Urbanus jocos, quos oportet audire qui liberalem & ingenuum decent, audiat. De hisce vid. Clariss. Heiderus. Sat de proposita materia.

Deo Laus & Gloria.



Suo

Georgio Weidlichio

Ethicè disputanti.

Nῖν μὲ τῆς τέγνης καλὰ ἄρεθ' ἔργα διώκεις
ἔ μινύθει κείνῳ ἡμερῶκοιθ' ἀνῆς.
Εὐ Δράγεις, ὅτῃ πολυδαίδαλον ἰσὸν ὑφαίνης
Σοίτ' ἀπὸ μέγα Φῶς κεινδρασιν ἔασομύροις.
Εμμί τοι Ὀχόμλῳθ', θεὸν ὑψιμέδοντα λιτῆσιν
πολλάκις καλέσαι, ὡσε πόνον Δράγοι.

Φιλοφιλίας ἔνεκα

hac adjecis

Paulus Schwab Plava-Variscus.

F I N I S.



Georgio Weidlichio

Philosophiae

Magistri

Philosophiae

Magistri

Philosophiae

Magistri

Philosophiae

Philosophiae

R. I. N. I. S.




05 A 1658

ULB Halle 3
003 779 106


1014







22

COLLEGII MORALIS
EXERCITATIO X.

De
VERACITATE
&
URBANITATE.

DEO Opt. Max. adjuvante
In celeberrimâ ad Albim Academiâ

PRÆSIDE

M. MATTHÆO Grossern/
Facultatis Philosophicæ Adjuncto.

Respondente

GEORGIO Weidlichen/Plavia-Varisco.

Academici exercitij gratiâ

placida disquisitioni subjecta

Ad diem 7. Aprilis horis locoq. solito.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCCXXX.

